

Johann Fecht Albrecht Joachim Krakevitz von

Dissertatio Academica De Nobilitate Studii Theologici

Rostochii: Richelius, 1700

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733809693>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 4.Juni 1692

Krakevitz, Albert. Joach.

1692, Johann / a

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
NOBILITATE
STUDII THEO-
LOGICI,

245

Quam
Ex consensu Vener. Facultatis Theologicae,
PRÆSIDE
DN. JOH. FECHTIO,
S. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Publ. Ordin.
Consistorii Ducal. Adfessore & District. Rostoch.
Superintendente,

ad diem 4. Junii A. R. S. 1692.

In Auditorio Majori Inclytæ ad Varnum
Academiae,

Publico Eruditorum examini
sistet

Autor & Respondens

ALBERTUS JOACH. Grafevitz

Nob. Megap. S. S. Theol. Studiosus.



ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat.
Typograph. Anno 1700.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE
REGI
CHRISTIANO
QVINTO,
DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALO-
RUM, GOTHORUMQVE REGI,
DUCI SLESVICI & HOLSATIÆ,
COMITI OLDENBURGI ET DEL-
MENHORSTI,
DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO.



POTENTISSIME REX.

AUdeo me humillimâ submissione ad-
volvere pedibus TUIS, REGUM AUGU-
STISSIME, & hoc, quicquid est chartarum,
quod in ingenii mei agello, tanquam primi-
tiæ

tiæ quædam, subnatum est, offerre. Neque
 ab instituto me deterret Majestatis Tuæ,
 quam universus colit mundus, magnitudo.
 Nihil in Te nisi vastum, nisi sublime, nisi Di-
 vinitati proximum agnosco. Cœlestes Tuæ
 & incredibiles virtutes, quæ dum magnifi-
 centia sua & radiis universum orbem pene-
 trant, splendore illustrant, alios rapiunt in
 venerationem, alios admiratione implent.
 Quas nihil attinet operosa sollicitudine re-
 censere, in oculos se omnium ipsæ ingerunt
 & ut studeas dissimulare, tegi oculiq; detre-
 ctant. A natura clementiâ, pietatem, quam
 alii hominis privati vel laudem vel virtutem
 esse credunt, à Numine, regendi artes ab usu
 accepisti. Justitiæ tantus in Te amor est, ut
 nulla unquam labe eandem contaminari si-
 nas. Gravitatis & comitatis parem apud o-
 mnes obtines laudem. Quæ virtutes cum
 æstimari nequeant, quia majores esse non
 possunt, in ipsas imperandi curas amplissi-

) (2

mo

mo sese usu diffundunt. **TU** omni conten-
tione, **REX POTENTISSIME**, & unico quasi a-
nimi **TUI** nisu facis, ut eum **TE** præstes **RE-**
GEM, qui ut à Numine secundus est, cujus
etiam nomen sacratissimæ **TIBI** literæ adme-
tiuntur, ita & eidem quam simillimus fiat.
Tanto, tamque Divino operi efficiundo a-
nimum accepisti à provido Numine igne-
um, cœlestem, intentum rebus, nunquam
otiosum, magnitudine sua, quicquid us-
quam est, includentem. In Senatu, in Curia,
in Campo assidue conspici, exercere mili-
tem, lustrare turmas, in navalibus versari, ad-
esse miseris, egenis opem ferre, providere
rebus futuris, firmare consiliis viribusque
regnum, vicinis se formidabilem facere, fo-
ciis colendum, omnia **DEO** perficere con-
sultore & præside, ei uni omnia accepta fer-
re, pietatem, honestatem, fidem, non sub-
larvâ, sed ad normam, quam præscribit vir-
tus, colere, atque adeo **DEO** per preces &
assidua

assidua alloqvia jungi, artes TUÆ pariter,
 REX, & exercitia sunt. His præsiidiis alio-
 rum quoque prudentiam jungis, summos
 homines, animas illustres, vividas, excelsas,
 quæque TUAM, INVICTISSIME REX, mentem
 invictam, acrem, coelestem, exprimant, præ-
 esse vis Curia, Provinciis, Ecclesia, qui &
 bello & pace consilio æq; ac opera polleant;
 ut tamen utroque, quo major omnibus es,
 eò magis excellas inter omnes. Supremus
 gloria TUÆ quasi apex est, ex illo, quod
 obtines, fastigio ad eos respicere, qui melio-
 ribus literis & disciplinis præclaris animos
 imbuunt, poliuntque ingenia. Hos curare,
 hos tegere, hos benevole ac honorificè ha-
 bere, & ne unquam desint felicitatis publicæ
 privatæque nervi, beneficiis vel allicere vel
 fovere, liberalitate inusitata quosvis, maxi-
 mè eruditos, demereri & tanquam igne
 quodam inflammare, inter laudum TUA-
 RUM, quas cum paucissimis PRINCIPUM habes

X 3

com-

communes, præsidia reponis. Ei fini Aca-
demiam TUAM instruis, illam bonarum
mentium & optimorum studiorum nutri-
cem, in quam, quicquid in orbe præclarum,
quicquid excellens in omni doctrinæ & sa-
pientiæ genere est, jam à longo tempore ad
hunc usque diem confluit. Illa immorta-
litas TUÆ instrumentum est, illa æternita-
tem factis Tuis apud posteritatem largietur.
Hæc sunt, SERENISSIME REX, quæ formidinem
mihi omnem Te adeundi excusserunt, quæ
addiderunt animum, Te summa, quam in
literario hoc munusculo testor, pietate co-
lendi. Neque hunc tantum immaturum
conatum meorum partum, cum inter ini-
tia adhuc nobilissimi, quod delineo, studii
consistam, sed me ipsum, sed hunc spiritum
meum, & quicquid ab ingenio, ab indole
mea sperari potest, dedico. Servet TE DEUS,
ô REX, cujus in regno TUO majestatem re-
præsentas, semper inter bonos optimum,
inter

inter magnos Augustum ! Addat perenni-
tatem domui TUÆ, nunquam ulla vi immi-
nuendam ! Consiliis factisque TUIS invi-
dendos successus, felicitati incrementa, quæ
nulla fortunæ , nulla debilitet temporum
vis, largiatur !

*Scr. Rostochii, ip[s]is Cal. Junii,
Anno M. DC XCH.*

SACRÆ REGIÆ MAJESTATI
TUÆ

*Subiecti[s]simo animo
devotus*

ALBERTUS JOACHIMUS KRAKEVITZ.

Stem-

Stemmate Te natum generoso haud infima laus est;
Ast ea major erit, si illud virtutibus ornas.
Ingenii fœtu primo præstare quod audes
Nobile Divini studii defendere dogma,
Hoc Tibi præcipuam laudemque decusque parabit.
Summus erit clypeus nec non Tibi maxima merces;
Post exantlatos vitæ mortisque labores
Det DEUS æterna Te Nobilitate fruisçi!

*Non tam moris quam amoris & honoris
ergo hæc dilectissimo suo nepoti ad-
dere voluit*

ALBERTUS à **S**rafewitz.

De



De

Nobilitate Studii Theologici Discursus.

§. I.



Um de præstantia & nobilitate Theologici studii, ut argumentum præbeam, Academico more cum cõmilitonibus colloqvendi, qvippiam commentaturus sum, vulgarem seqvi methodum apud animum meum constitui, id est, per terminorum, in Disputationis nostræ inscriptione occurrentium, considerationem, viam mihi ad ipsius rei notitiam parare. Cum enim ideo nomina indita sint rebus, ut easdem animo audientis & intelligentis repræsentent, fieri non posse jam ab antiquis eruditionis magistris creditum est, qvin à vocum intuitu ad rerum ipsarum scientiam paulatim provehamur.

§. II.

Itaque Theologia, de cujus studio acturi sumus, vivo-
cis discursum seu disputationem de DEO notat. Postquam enim vox *λογος* à primo cõmuniqve suo significato, quo verbum denotat, ad integram orationem vel sermonem, mox à Philosophis cum primis ad ipsas sententias, rationum momentis firmatas, traducta est, omnibus iis rebus annecti cepit, quarum uberio-
rem ex principiis suis deductionem sistere,

A

ob

ob oculos volumus. Ut adeo, quemadmodum *Φυσιολογία* eorum, qui hanc primitus vocem fabricarunt, intentione, sapientem rationabilemque de rebus naturalibus dissertationem notat; ita Theologia pariter exprimat vel rationem vel orationem vel sententiam vel discursum vel disceptationem de DEO, ex gravissimis verissimisque solidissimarum rationum momentis eductam & roboratam; *rationem de DEO* vocat principio octavi de Civitate DEI libri *Augustinus*. Quam denominandi rationem, non nudius demum tertius natam, sed longe vetustissimam esse, indicio est, quod in fronte Apocalypseos Johannes Apostolus Theologi nomen gerit. Quamquam incertum sit, quis illud libri titulo primus adjece- rit. *Cornelius à Lapide* in quæstionibus præemialibus in Apocalypsin Dionysium Areopagitam narrat epistolam exarasse ad ipsummet Johannem Apostolum, quæ, inscribatur: *Johanni Theologo Apostolo & Evangelista, exulanti in Patmo*. Verum cum Dionysii illius scripta non sint extra omnem dubitationis aleam posita, res incerta est. Id certè constat, jam à Sancto *Athanasio* oratione contra Idola, Theologum absolute & ἐξουκινῶς appellatum esse. Non tamen inficior, Theologi vocem, cum Johanni ab antiquis aptatur, paulo pressiori sensu, quam hodiè fieri solet, id est, non pro universo habitu conclusionum Theologicarum, sed pro eâ tantum earundem parte, quæ Divinam in Christo naturam, juxta quam & λόγος in principio Evangelii à Johanne vocatur, concernit, acceptam fuisse. Quo sensu Theologia Oeconomix, ad quam humana natura & tota officii Christi dispositio pertinet, opponitur, ceu ad titulum Apocalypseos observat, immortalis gloriæ Theologus, *D. Johannes Quistorpius*; & peculiari de variis Oeconomix sacre generibus exercitatione, conquisitis sedulo antiquitatis in hac re monumentis, amplius ostendit *Germaniæ superioris decus, D. Elias Veielius*.

§. III.

§. III.

Hanc Theologiam in aprico est, duplicem esse: naturalem & revelatam. Illam & gentiles quondam excoluerunt, quippe naturalibus principiis, ipsi hominis constitutioni à nativitate insitis, quæ primo secundoque Epistolæ ad Romanos capite Paulus commendat, subnixam. Unde & vetustissimos Græciæ scriptores *L. Coelius Lactantius Jerosolymus* nuncupatos esse tradit, eò quod Deorum naturam, res gestas, cultumque iis debitum enarrarent. Quam gentilium Theologiam tertio generi, fabuloso uni, alteri naturali, tertio civili, inclusit *Augustinus*, imo ante Augustinum, ut *Leonhardus Cocqveius* annotat, *Plutarchus*. Non quod, quæcunque illi ridicula & absurda de Diis in fabulis recensuerunt, verè contigisse crediderint, sed quod sub involucris illis civilium & fabulosarum narrationum, qui non ex infima vulgi fecerant, veram quandam de DEO rebusque Divinis sapientiam contineri fuerint persuasi; quod jam olim *Natalis Comes*, aliique, imprimis illustrissima opera *Gerhardus Johannes Vossius*, ostenderunt. Quamquam verò huic ipsi naturali Theologiæ dignitatem suam, nobilitatemque præ cæteris, deductis pariter ex humana ratione, scientiis non derogemus, eandem tamen præcipue revelatæ in sacratissimis literis, tanquam immediatis DEI oraculis, fallere & falli plane nesciis, Theologiæ admetimur.

§. IV.

Studium Theologicum à Theologia ipsa, seu à habitu Theologico, ut loquuntur Philosophi, non aliter differt, ac cura & opera à re, circa quam illa occupatur. Quippe *studium*, Cicerone iudice, *est assidua ac vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluntate, occupatio*. Ex qua definitione id simul elucescit, non statim Theologiæ studio incumbere dicendum esse, qui levi, ut loquimur, brachio res Theo-

A 2

logicas

logicas attingit, aut qui discursibus colloquiisque Theologicis quomodocumque delectatur, aut qui Theologorum congressus & conversationem præ cæteris amat atque æstimat, nec illum etiam, qui singulari studio articulorum ad salutem sibi profuturorum, haustam ex indefessa Scripturæ lectione, notitiam, eamque non perfunctoriam, sed solidam, vereque homine Christiano dignam, sibi comparavit, sed qui dedita professaque opera, assiduo atque vehementi labore, studium suum Theologiæ apponit, eum in finem, ut omnium conclusionum Theologicarum, ex genuino Theologiæ principio deductarum, cognitionem acquirere, eamque defendere adversus adversarios, imo docere alios possit. Id enim à Theologo requiri ex Pauli regula ad Titum l. 9. palam est. Quicquid enim infra hunc perfectionis gradum residet, id ad fidem potius, quam ad habitum studiumque Theologicum, pertinere merito censetur. Illud studium Theologiæ exterium & populare, hoc acroamaticum & accuratum appellari potest.

§. V.

Nobilitas in genere quamlibet dignitatem, præstantiam, claritatem, excellentiam, eminentiam notat. Quare Ciceroni nihil aliud est, quam *cognita virtus*. Quem ex Christianis imitatur Hieronymus, cum ad Celantiam scribit: *summam apud DEUM nobilitatem esse, clarum esse virtutibus*. Nonnunquam cum emphasi accepta eximiam atque eminentem virtutem exprimit, ut in illa Stoicorum thesi: *solum sapientem esse nobilem*. Invaluit tamen frequentiori hujus vocis usu, ut plerumque comparationem involvat & respectum ad rem aliam, ut adeo, quod nobile esse prædicamus, præstantius alio & dignius æstimari velimus. Quo pacto, cum veteres Philosophiæ nobilitatem attribuerunt, meliorem eandem & excellentiorem scientiis quibuslibet aliis popularibus, aut ruditate

tate etiam & barbarie eorum, qui rationem disciplinis haud excoluerant, voluerunt. Nec aliter in civili hodie vita, qui Nobiles dicuntur, iis opponi, qui ex plebe sunt, non gemet nec extraction/ut hodiernus stylus habet, adeoque illis vel virtutem amplioem, vel æstimationem majorem, vel generis claritatem eminentiorem, præ aliis assignari, in propatulo est. Quinimo ad tantum fastigium nobilissimi titulum olim ascendisse docet in notitia dignitatum illustrium *Johannes Christophorus Becmannus*, ut vel solis cæsaribus, vel certe Principibus tantum Imperatorii sanguinis fuerit adscriptus. Pontificem quoque Romanum tradit *Albertus Cranzzius*, infigne seculo superiori Academiæ nostræ decus & in utraqve Facultate, Theologica, Juridicaque, Doctor, *Principes salutare nobiles viros, dilectos filios, Comites autem solummodo dilectos filios.* Quamquam nec hoc perpetuum fuisse, sed curiæ Romanæ præcipue stylum frequenter variatum, peculiari commentatiuncula demonstrat, & ipse familiæ pariter & solidæ eruditionis gloria verè nobilis, *Christianus Wilhelmus Eybenius.*

§. VI.

Nunc cum ex dictis constet, quid Theologiæ, quid studii Theologici, quid nobilitatis nomine, quæ nempe titulo hujus dissertationis præscripsimus, intellectum velimus, pronuntiare haud veremur; inter studia disciplinarum omnium, quas humana industria comprehendere potest, Theologicum studium ita eminere, ut nobilitate & præstantia nulli cedat, omnes superet & vincat. Quam assertionem nostram, ne cui aut nova videatur, aut insolens, priusquam ad ejus descendamus probationem, verbis communiemus incomparabilis hujus scholæ Doctoris, *Davidis Chytræi*, qui in oratione de studio Theologiæ, cum omnibus cæterarum artium studiis conjungendo, in solenni Doctorum Theolo-

giæ promotione habita: Hoc affirmo, ait, inter omnes doctrinas & artes, quæ DEI concessu & munere hominibus tributa sunt, nullam præstantiorem & omnibus cognitu magis necessariam esse, ea doctrina, quæ fini, ad quem conditus est homo, immediate servit; & ad quem, velut ad ultimum & summum finem, ceteræ artes & vitæ genera omnia referuntur, quæque & certum præsidium est vitæ præsentis & aditus est ad æternam salutem. Hæc ille, qui & alia oratione, de studio Theologiæ recte inchoando, studium Theologiæ omnium studiorum & actionum humanarum summum & dignissimum & maxime omnibus necessarium appellavit.

§. VII.

Hujus pronunciati veritas argumentis, non minus pondere gravissimis quam numero plurimis, potest comprobari. E quibus chorum jure meritissimo ducit Divina originis, eaq; indubitata, è quæ Theologia promanat, majestas. Non respiciendum hic nobis est ad principium Theologiæ, ceu in scholis loquimur, Reale, quod, ut rebus præclaris omnibus, ita & illi, quæ circa DEUM, resque Divinas versatur, scientiæ, cum nobilissima pietatis actione conjunctæ, quam Theologiam vocamus, ortum dedit, quippe quod DEUS est, à quo omne datum optimum, & omne bonum perfectum descendit, tanquam à patre luminum. Jacobi I. 17. Sed ad cognoscendi potius principium, ex quo universa conclusionum & veritatum sacrarum, quæ Theologiæ in se habitus complectitur, compages velut è fonte profluit. Id autem verbum est, immediato DEI ore prolatum, sacrisque in Veteri Novoque Testamento scriptoribus, ut calamo consignarent, consignatumque; ad perpetuam Ecclesiæ informationem, traderent posteritati, sine ulla erroris formidine dictatum. Quod ex Apostolorum, Petri Paulique, effato, quorum ille: *Non voluntate hominis, ait, allata est quondam prophetia, sed acti à Spiritu Sancto locuti sunt sancti*

sancti DEI homines, II. Epistola I. 21. Hic verò: *Omnis scriptura*, inquit, *à DEO inspirata & ad informationem utilis est*, II. Tim. III. 16. adeo certum est, ut nemo prope Christianorum de eo dubitet. Quamquam enim in probandis iis, quæ fidei sunt, alii traditiones, alii quendam antiquitatis concentum, alii rationis humanæ præsidia, alii nescio quæ somnia, raptus, novas angelorum hominumque revelationes, entusiasmos, spiritus, miracula, divinationes ex astris, aliaque id genus, in subsidium advocent, cum tamen hæc omnia ab aliis non tantum in dubium revocentur, sed maximam partem stultitiæ & impietatis non immeritò coarguantur, in hoc omnes unanimi consensione conspirant: sacras literas ad informationem Theologi, tanquam fundamentum credendorum infallibile, inspiratas Ecclesiæque commendatas esse.

§. VIII.

Intelligimus autem principium Theologicarum conclusionum genuinum & proprium, fidem non verosimilem tantum & errori obnoxiam, (in quem sensum nonnulla eorum, quæ paulo ante retulimus, possunt referri,) sed immotam & irrefragabilem generans, quippe Divino oraculo, quod mentiri nequit, subnixum. Tali autem, tamque excellentis dignitatis principio nullam reliquarum disciplinarum, quantumlibet de cæterò eminentia præfulgeant, gaudere sole meridiano clarius est. Jactent Medici experientiam, quæ rerum omnium vulgo audit magistra; Philosophi rationem, quamdam expressam in homine æternæ sapientiæ imaginem; Jureconsulti Imperatorum Principumque leges, qui cum DEI in his terris personam sustineant, Divinam quasi constitutionibus & decretis suis imprimunt auctoritatem; quanto DEUS rebus omnibus creatis præcellit, tanto eminent id, quod ab ipso, immediato autore, quam quod à creaturis quibusvis, quantumlibet à DEO nobilitate præditis, pro-

proficiscitur. Quo propius vero ad Divinitatem quidpiam accedit, eò magis id de ejus dignitate participare, ultro intelligitur. Propius autem Theologia, quæ ex verbo Divino proximè educitur, quar cæteræ artes, quæ tantæ Divinitatis originem non agnoscunt, ad eandem accedit. Quemadmodum & in hujus mundi rebus nobilior imago, quæ ad *ἁγιωσύνην*, quam quæ ad quamlibet aliam, ad vivum jam antea factam, expressa est, esse merito censetur. Recte *Nicolaus Hemmingius*, Theologus Danus, in Epistola Dedicatoria, Syn- tagmati Institutionum Christianarum præfixa: *DEUS est autor sapientia Ecclesie, homo est inventor sapientia hujus mundi. Ut ergo DEUS & homo distant in infinitum inter se & bonitate & dignitate: ita sapientia DEI bonitate & dignitate sapientiam hominis excellit.*

§. IX.

Jam ipse Theologiæ habitus, si naturam ejus spectemus, sublime quid & præstans videtur complecti. Cum enim de cæteris scientiis omnibus, utrum in nuda speculatione acquiescant, an ad actionem simul dirigantur, nulla sit dubitatio, sola Theologia utroque habitus genere superior & eminentior esse videtur. Qui eandem theoreticorum habituum numero accensent, non alio commoventur argumento, quam quod nihil nobilius, nihil Divinius contemplatione esse sunt persuasi, cum videamus ipsum supremum beatissimumque Numen, cujus nomen cuncta venerantur, majestatem stupent, ad cujus imperii nutum contremiscunt, ad cujus bonitatem omnia suspirant, hanc & non aliam vitam, quæ contemplativa est, quæ sibi ipsi finis est, in se ipsa subsistit & acquiescit, nec tendit ulterius ad operationem, deligere voluisse, aut etiam potuisse, in qua admirandæ magnitudinis suæ solium firmaret, effunderet gloriæ splendorem, bonitatis rivos panderet ac beatissimè degeret. Qui inter practicos referunt

runt habitus, eadem plane inducuntur ratione, quia opinantur, summæ nobilitatis & excellentiæ esse, id quod animo speculati sumus, ad actionem & praxin traducere, quæ eo præstantior & eminentior, quo nobilius sit id, circa quod illa versatur, sit censenda. Nonnulli derogare Theologici habitus Divinitati autumant, si illa in censum vulgarium habituum compingatur; ajunt itaque, utrumque & speculantium & agentium genus transcendere & utriusque nobilitatem eminentia quadam vel complecti vel superare. Quod ideo novo philosophandi more & antiquis ignoto mixtum vocant *Thomas Cajetanus*, *Gabriel Vasquetius*, *Rodericus de Arriaga*, aliique; compositum forte commodius diceres. Quibus clarissimi haud ita pridem in Dania nominis Theologus, *Johannes Wandalinus*, Disputatione de Theologia Christiana in genere considerata, non dubitat accedere, cum inquit: *Quamquam durum & veluti σκληρόζυγον, Theologiam utrumque genus habituum excellentia quadam dignitatis & amplitudinis complecti, viris nonnullis doctissimis, nominatim D. Balthasari Meisnero & D. Abrahamo Calovio videatur, quasi idem habitus non possit ultimato in cognitione subsistere & simul ad praxin tendere: tamen in nostro hocce habitu transcendente, cui nulla fere cum aliis habitibus intercedit analogia, id statuere absurdum non erit.* Quibus effati sui rationes subjunxit. Quicquid vero horum asserueris, cum & speculatio sit nobilissimi Entis, nec in inani ac ventosa ejus cognitione, multò minus in curiosarum & inutilium disputationum subtilitate, sed in salutari *notitia DEI Patris, ejusque, quem misit, filii*, consistat, Joh. XVII. 3. & praxis, circa illud occupata, sit ἡ ἐνοσίθεα seu *pietas*, quæ nulla sub cælo virtus cogitari nobilior potest, atque adeo ipsa Theologia à Paulo ad Titum I. 1. per *ὁπίγνωσιν ἀληθείας τῆ κατ' ἐνοσίθεαν*, *agnitionem veritatis, quæ est secundum pietatem*, definiatur, ultro patet, Theologiam cæteri scientiis omnibus, quæ ab hac bonitate remotius abeunt, præstare. B §. X.

§. X.

Ex quo confestim nova studio Theologico nobilitas adnascitur, quæ ex objecto procedit, circa quod Theologia occupatur. Quicquid Theologus considerat, id in se non potest esse nisi eximium atque præclarum, quippe à DEO ipso, ut revelaret, ut æternitati scripto commendaret, dignum iudicatum. Quod si gentilium Philosophorum sapienter dicta, sententias aureas, apophthegmata, scripta: si Jurisconsultorum veterum leges & constitutiones, ob summam, quæ in iis continetur, sapientiam, velut oracula cælo delapsa admiramur & tantum non adoramus, quoniam navi humanæ infirmitatis ex illis subinde promicent: quid non dicendum est de perfecto omnis sapientiæ thesauro, quem ex æternitatis penu immediatè depromptum sacer complectitur codex? Tractat Theologus de rebus omnem pretii mensuram, omnem æstimationem superantibus. Quid nobilius DEO est? Cui collata omnis rerum creatarum excellentia, quantumvis obstupescenda, juxta *Origenem* Commentario in Caput XIX. Matthæi *κατα γεννηθῆς* seu *abusivè* tantum bona est & nobilis, cum DEI nobilitas sola sit *νοβελιῶς* & propriè talis. Nempe omnes gentes populique, cum omni ipsorum sapientia & nobilitate, DEO comparatæ, ut *gutta è situla* in profundum puteum relabens, ut *minutissimi pulvisculi flos*, qui *lancibus* adhæret, ut res nihili, imo *infra nihilum & inanitatem reputantur*. Esaiæ XL. 15. Quid nobilius mysteriis, immotam Divinæ mentis veritatem quasi in speculo repræsentantibus? De quibus nec Philosophorum, nec oratorum, nec Poëtarum, nec sapientum quisquã quicquam tradere poterat, quia *πάντα νῦν καὶ πᾶσαν κατάληξιν*, supra omnem captum rationemque posita sunt: & cum animum suum in hæc DEI arcana immittere præsumplerunt, DEUS bone, in quas tenebras, in quos horrendos inciderunt errores! *Cum dicitarent, se ipsos esse*

esse sapientes, stulti facti sunt, Rom. I. 22. Qvi ob prudentiam & res in Republica sapienter utiliterqve gestas secretis Principum Regumq; consiliis admoventur, majorem ipsa stemmatis claritate nobilitatem trahere inde judicantur. Qvi vero in summi Numinis & universi mundi Imperatoris arca, qvæ sunt mysteria ejus, ab omni aternitate tacita, Rom. XVI. 25. admittuntur, ut secretis qvafi DEI auribus, velut interiores ejus amici & consiliarii, assidere, familiariter cum ipso colloqui & omnem admirandi regiminis ejus, qv od non in mundum tantum, sed in ipsas hominum animas & pectora exercet, oeconomiam & perspiciant & penitiorẽ qvadam indagine perscrutentur, non majorem hinc accipiant nobilitatem?

§. XI.

Nec minorem Theologiæ, ejusqve studio, summa principii, ex qvo doctrinam suam deducit, sanctitas nobilitatem conciliat. Hæc enim tanta est, ut nec in formandis castissimis moribus, nec in eloqvendis Divinissimis mysteriis, majorem puritatem simplicitatemqve jure desiderare qveas. Pietatis virtutumqve omne genus non describit tantum, sed inculcat. Id facit stylo adeo plano, sincero & aperto, ut omnis absit fucus, omnis malitia & simulatio. Qvicqvid non in verbis tantum factisqve, sed cogitationibus etiam turpe est, qvicqvid pias honestasqve aures qvomodolibet offendere potest, qvicqvid vel speciem præbere cujuscuqve mali posse videtur, id à Scriptura S. longè proculqve abest, qvippe qvæ ideo per *ἐξοχὴν* & eminentiam qvandam SANCTA vocatur, Rom. I. 2. Qvi vero affecta aliter Scriptura esse qveat, cum autorem immediatum habeat Spiritum, qvi verè sanctus est, qvi sanctitas ipsa est, qvi sanctitatis omnis fons est? Qvacunqve unqvam sanctitate enituerunt ii, qvi in Ecclesiæ historiis celebrantur, sancti, huic se origini sanctitatem suam,

B 2

inno.

innocentiam, morumq; pudicitiam debere, libentissimè sunt professi. Nec vero fieri potest, qui in re tam sancta occupatur, studiumqve suum ponit, quin & ipse sanctitatem inde & castitatem contrahat; quemadmodum fieri nequit, quin calefiat, qui ambulat in sole. Quare Theologus non tantum de sanctitate morum, nec de veritate duntaxat sententiarum, sed de ipsis loquendi formis, quibus res tam sublimes sanctasque exprimat, sollicitus est, ut sint castæ, ut sobriæ, ut mysteriorum simplicitati & Ecclesiæ consuetudini (cui pacis causa & ad vitandum exitiosum schisma religiose inhærere decet) congruæ. Memor nimirum, Paulum non monere tantum, ut *attendamus doctrina, quæ est secundum pietatem*, sed & *τῶν ὑγιαίνοντι λόγοις*, *sanis verbis* I. Tim. VI. 3. & *formam sanorum verborum tenendam esse*. II. Tim. I. 13. Quo jussu moti Electores, Principes, Statusque Germaniæ nostræ in Præfatione, quam Concordiæ Formulæ præmiserunt, sanctè testati sunt, *se ne latum quidem unguem vel à rebus ipsis vel à phrasibus, gravi consilio in Ecclesia nostra receptis, discessuros esse*. Qvalem vero in rebus pariter verbisque castitatem nullam cæterarum disciplinarum sibi promittere posse, apud omnes in confesso est.

§. XII.

Hoc cum argumento aliud è vestigio connectitur, quod ipsa in subjecto, quod Theologiæ studio deditum est, pietas & probitas pro firmanda studii Theologici nobilitate suppeditat. Nec enim Theologia in se tantum sancta est, sed & sanctum reddit eum, qui ut eandem acquirat, intellectumque suum ea ornet, omni opera studioque adnititur. Theologiæ habitus quodam nostrorum consensu practicus est, eò tendens, ut hominem erroribus & vitiis, quibus antea inhæserat, exutum verissima simplicissimaque imbuat pietate, haud aliter, imo majori & jure & virtute, quam cæteræ disciplinæ

plinæ activæ, rationis iudicio subjectæ, quæ auditorem & re-
 quirunt docilem & faciunt meliorem. Nonnullis eqvidem
 persuasum est, eum tantum esse subtilem perfectumq; Theo-
 logum, qui controversiarum præ cæteris maxime gnarus,
 bella omnibus inferre, sacram pro cathedra doctrinam Phi-
 losophicorum terminorum barbarie, tanquam leporem lar-
 di segmentis probe circumdatum, obscurare, proque sugge-
 stu Alamoica quadam, liceat ita loqui, facundia declamita-
 re sit adfverus. Veruntamen tam id non facit solidum, cor-
 datumque Theologum, quam ars Rabulistica Jureconsult-
 tum, aut circumcellionum clamores Medicum. Quod malo
 duorum magnorum Theologorum, antiqui & recentioris,
 quam meis verbis docere. Primus *Origenes* est, qui Homi-
 lia V. in Leviticum: *si sit aliquis, ait, natura florentis & arden-
 tis ingenii, non continuo aptus videbitur ad suscipienda verbi DEI
 mysteria, sed quaeritur in hoc, ut prius à profanis actibus & im-
 mundis operibus separetur & ita demum eruditionis capax fiat, si
 prius capax fuerit sanctitatis.* Alter est *D. David Chytraeus*,
 Theologus nostras verè *θεολογικώτατος*, qui oratione de stu-
 dio Theologiæ, exercitiis veræ pietatis & virtutis potius
 quam contentionibus & rixis disputationum colendo, me-
 morabili opera id unum agit, ut ostendat: *veram Theologiam
 non in cognitione & scientia doctrina sola ac multarum artium
 peritia, sed in vero timore DEI & fide Christi ac obedientia erga
 DEUM & officiis beneficentiæ erga proximum præcipue sitam esse.*

§. XIII.

Est Theologia nostra *ἐξ ἱερῶν γραμμάτων*, ex sanctis scri-
 pturis hausta, quæ sola erudire nos ad salutem per fidem, perfe-
 ctumque reddere Theologum atque ad omne bonum opus instru-
 tum possunt. II. Tim. III. 15. 16. 17. Indignum itaque est,
 Theologum in alio quocunqve, quam sacrarum literarum,
 studio consensescere. Est Theologia *καλὴ διδασκαλία*, non

omnium operum inanis, sed *bona doctrina, γυνάξαι πρὸς εὐσεβειαν*, Theologum præclaro exercitio ad pietatem deducens, I. Tim. IV. 6. 7. *Ἔστὶ ἡ κατ' εὐσεβειαν διδασκαλία, doctrina, quæ secundum pietatem est.* I. Tim. VI. 3. Ut itaque Theologi nomen homo superbus, libidinosus, rixis jurgiisque adivetus, avarus, injustus, ambitiosus, hypocrita, mendax, calumniarum, maledictorum, obrectationum amans, à pace, à concordia, ab humilitate, à modestia, à temperantiâ alienus, sustinere queat? Quidni jure tali occini possit: *quid tibi, Theologorum monstrum, ut enarres decreta mea & assumes fœdus meum in os tuum? Ut verbum meum aliis prædices & sacramentorum dispenses mysteria? cum tu oderis disciplinam & projicias verba mea post te.* Psalm. L. 16. 17. Nempe utrumque sibi Theologia vindicat: cognitionem & pietatem. Sine illâ non possunt accendi pii in animo motus, nec actiones sanctæ vel effici, vel certâ immotâque regulâ gubernari. Ignoti enim nulla cupido est & tantum nos diligere, quantum cognoscimus, rectè veterum quidam pronunciavit. Sine pietate cognitio vel vacua est vel fastuosa. Præclare *Lactantius: in colendo sapere debemus, hoc est, scire, quid nobis & quomodo colendum sit: & in sapiendo colere, id est, re & actu, quod scierimus, explere.*

§. XIV.

Si qui neglecto sacrarum literarum studio, veterem scholasticorum Theologorum disputandi contendendique prurium reducant, quos *Melchior Canus*, Canariensium Episcopus, ait: *universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolvisse & vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, edidisse in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum; quo longius à norma veræ Theologiæ, id est, sacrarum literarum simplicitate recedunt, eò minus cum vera Theologia communionis habent.* Si qui

187.
qui vicissim spreto veræ Philosophiæ, quæ rationis, doni Divinitus nobis concessi, cultura est, reliquæque bonæ literaturæ subsidio, in arcana scientiæ Theologicæ, quæ illa ἔστι, ἐν αἰσθητικῇ μαθηματικῇ ἐχόντων, *habitus crebris exercitamentis acquisitus*, Ebræor. V. 14. penetrari debere contendunt; quo magis viam & præsidia sibi ad firmam rerum sacrarum scientiam, eorundemque adversus omne genus adversarios defensionem præcludunt, eò minus solidæ Theologiæ possidere intelliguntur. Utrumque periculo obnoxium est; curiosis, vanis, ad lites tantum perniciosas natis disputationibus fœdare Theologiæ innocentiam; & Philosophiæ omne studium sub vano prætextu, ac si Theologiæ simplicitatem commacularet, è Theologiæ studio proscribere. Illud Academicam tandem & Epicuream quandam generat profanitatem; hoc Enthusiasmi Theologiæ non minus exitiosam superstitionem. Eodem vitio laborant Theologi ἐριστοὶ καὶ ἀνλογοὶ, ut eosdem appellat *Basilus*, serendis ex quolibet verbo litibus prompti; & οἱ ἀντιμαρτυροῦντες καὶ χριστοῦ πρὸς θεολόγους, οἷς ἀρκεῖ τὸ θελήσαι μόνον πρὸς τὸ εἶναι σοφοῖς, ut *Gregorius Nazianzenus*; una die unaque lectione creati sapientes, plebiscito facti Theologi, quibus sola ad eruditionem voluntas sufficit. Si qui denique palmariam Theologi virtutem esse existiment, mentem præclaro acumine imbutam, quæ verba Chytræi sunt, *Eruditione politam & plectrum linguæ volubile esse*, sophistica nempe plenam, pietate vacuum, quæ omnibus suis rixis fidem prætexat & hoc venerabile nomen privatis contentionibus & odiis distorqueat; illi à vero Theologiæ fine longe aberrant & ipsius sanctissimi Spiritus iudicio, stultorum potius & insipientium, quam sapientum & Theologorum nomen merentur. At è contra si qui pietatis præferentes nomen Theologiam altero oculo, veritatis & scientiæ, adversus quodcunque hostium genus masculè citra ullam cum mendacio quocunque collu-

collusionem defendendæ, lumine spoliant, aut sub illa larva animi ambitione, fastu, odio erga ejusdem religionis confortes turgidum tegunt, ii fanaticorum hypocritarumque quam Theologorum titulo ipsius Scripturæ judicio sunt digniores. Rectè denuo Gregorius Nazianzenus: *Bellum, inquit, intestinum gerunt unius corporis membra. Pietatem præ se ferunt omnes hoc uno, quod alios impietatis arguunt. Observant aliorum errata, non ut deplorent, sed ut exprobrent, non ut sanent, sed ut contumeliose objiciant & aliorum sceleribus exaggeratis scelera tegant & defendant sua; & quæ hodie laudant, cras vitio dant & quæ ab aliis vituperantur, ipsi admirantur ac ut in nocturno prælio & obscuris lunæ radiis hostium aut amicorum facies non agnoscimus, sed in nos mutuo irruimus & à nobis mutuo consumimur.*

§. XV.

Non tamen ideò veræ Theologiæ nomen amittit Theologia, quæ veritates, in Scriptura revelatas, tuetur, si sine isthoc pietatis, secundum scientiam institutæ, quem habitus ex sua natura intendit, excidat aut destituatur; sicut naturalis gentilium Theologia falsa ideò non fuit, quia, qui eandem docebant, scientiæ rerum Divinarum morales virtutes haud conjunxerunt; aut, sicut ideò manducatio & bibitio corporis & sanguinis Christi vera esse non desinit, quia in sacro Eucharistiæ sacramento indigni & scelerati sine fructu suo edunt bibuntque. *Verissimum est verbum DEI, ait dissertatione de quæstione: Quæ, qualis & quanta sit Theologia naturalis in statu corruptionis? D. Sebastianus Schmidius, Theologus scientia pariter & virtute admirandus, si vel maximè ab ipso Diabolo incorruptum prædicetur. Ipse Diabolus novit inter Theologiam & personam discrimen, Actor. XIX. ubi, quando eum per nomen Jesu filii Scavæ Judæi voluerunt expellere, non dixit, falsum esse nomen Jesu, quod ipsi nominarent, sed, Jesum novi, inquit,*

quæ, vos autem qui esis? Agnovit verum esse, quod de nomine Jesu dicebant, sed eorum infidelitatem redarguebat. Qui vero ex antiquis pariter & recentioribus, è quibus *Cbytraum* supra nominavimus, impiorum Theologorum Theologiam veram esse inficiati sunt, veritatis vocem non scientiæ ipsi, sed scientiæ fructui opposuerunt; quo sensu veræ arboris nomine indigna judicatur arbor, quæ, quanquam in se vera sit arbor, nunquam tamen, cum quotannis flores & folia magno numero protrudat, ullum se dignum & à natura intentum fert fructum. Externa finis causa est, quæ si absit, maneantque, quæ ad rem internè constituendam requiruntur, res quidem talis non est, qualis ex intentione ejus, qui ex habitu agit, esse meritò deberet, res tamen ipsa esse non definit. Theologiæ hic etiam finis est, ut cognoscendo vindicandoque cœlestem veritatem, pietatem in animo discentis pariter docentisque efficiat, non, ut in cognoscendo subsistat, aut dum tueri veritatem admittitur, rixetur potius, quam defendat: si tamen hic absit tam honestus finis & adsit præclara rerum revelatarum, eaque ad verbi Divini regulam exacta, scientia, non ideò hæc vera Theologia esse cessat. Vera utique est, quoad se: cum autem non vera à *Cbytraeo* vocatur, sed præcipuè in officiis pietatis sita esse dicitur, vero tantum, aqve Theologiâ intento fine carere indigitatur.

§. XVI.

Ut qui Theologiæ studiosus est, scientiam pariter rerum sacrarum & pietatis praxin facilem & radicatam adipisci possit, nobilissimæ & plane Divinæ faciunt virtutes, quibus S. Scripturam, ex qua, ceu principio, Theologiæ habitus dependet, sanctissimus Spiritus decoravit. Qualis est immota nec cum ulla oppositi formidine conjuncta certitudo, qua æquè fieri non potest, ut ullum ulli Scripturæ apici falsum subsit, ac ut bis duo non sint quatuor, aut ut duo, quod dicitur,

C

con-

contradictoria simul possint esse vera. Quí enim, quod ve-
 rum non sit, immediatè ab eò esse possit, qui in se nihil est
 quam ipsa veritas, quæ mentiri *mutariq; nequit?* Malach. III.
 6. Quantamcumque Philosophi vel ex sensibus vel ex experi-
 entia vel ex demonstrationibus certitudinem jactent, quan-
 tum excellunt Divina humanis, tantum Scripturæ certitudo
 quamcumque naturalem superat, *ut ejus respectu humana sa-
 pientia omni fere teste carere videatur*, ut scitè inquit *Nicolaus
 Hemmingius*. Quo certius vero Theologiæ principium est
 principiis aliarum scientiarum, hoc certiores etiam genera-
 re conclusiones ex se intelligitur. Quare & τὴν ἀσφάλειαν,
firmitatem & certitudinem Theologiæ adscribit Lucas Cap. I. 4.
 Si quis Theologorum nobis infinitas dissensiones & immor-
 tales rixas ogganniat, ille cavillari confestim desinet, si neque
 Juris, neque Medicinæ, nec ullius alterius disciplinæ, quarum
 apodictica sunt principia, studia iisdem destitui in memori-
 am sibi revocet & in universum meminerit, *nullam unquam
 extitisse rem magna existimationis & communi vita utilem, que
 non in varias opinionum sectas fuerit divisa*; ut *Celso*, idem
 Christianis objectanti, respondet libro contra ipsum tertio
Origenes.

§. XVII.

Nec minor Theologiæ nobilitas ex principii sui perfe-
 ctione accedit. Perfectionem intelligimus, qua illa spectatur
 in ordine ad assequendum Theologiæ finem, qui est *sapien-
 tem reddere hominem ad salutem per fidem in Christum Jesum,
 idq; per informationem, refutationem, correctionem & exhorta-
 tionem in justitia, ut perfectus fiat Theologus, ad omne bonum
 opus instructus*. II. Tim. III. 15. 16. 17. Nulla est rationis disci-
 plina, quæ perfectionem promittere cultoribus suis possit.
 Querelarum de humanarum rerum & scientiarum imperfe-
 ctione omnes omnium autorum libri, omnes paginae repletæ
 sunt.

sunt. Sola Theologia est, cujus principio nihil deficit, quo minus ex eo, quæcunque Theologo necessaria & ad obtinendum illustrissimum finem proficua sunt, & hauriri possint & determinari. Nulla unquam nata est hæresis, aut nasci potest, quæ non possit ex eo refelli. Nulla hominem aut tentatio vexat, aut passio, quin ex illo remedium ei possit opponi. Nullus conscientiæ scrupulus, quin ex eodem decidi. *Omne consilium Divinum* de salute nostra, nullo excluso, in eo traditum & enunciatum est. Act. XX. 27. Quanta itaque Theologiæ studium præ cæteris disciplinis prærogativa & nobilitate gaudeat, vel hinc quoque patet. Quam cum ejusdem cum aliis imperfectionis arguit in Religione Medici *Thomas Browne*, Anglus, cum inquit: *Ut morbos habet Medicina insanabiles; ita & Jurisprudencia causas, quæ non dissolvi, & Theologia vitia, quæ non corrigi possunt. Nullas ita habent perfectas regulas, quæ non ab hominibus, atq; adeo fallibili ingenio, profecta sint: & alterius plerumq; canones alterius consulta damnant. Ut autem peccatum in Spiritum S. missum faciam, cujus non remedium tantum sed natura etiam ignoratur, nephritidi aut podagra facilius medeor, quam Theologus superbia & avaritia. Sunt vitia quædam, Medicina opera medicabilia, quæ Theologia sanare nescit;* (*Levinus Nicolaus Moltkius*, Eques Meclenburgicus longe doctissimus, in notis ad hunc librum, proclivitatem ad libidinem & ea vitia, quæ morbus hypochondriacus causatur, intelligit) *quæ hujus præceptis speretis & contemptis, illius pillulis obtemperant: in re seria ludere videtur. Id enim solummodo quæritur: an Theologiæ ex Scriptura S. omnia ea sint præsidia in promptu, per quæ promoveri animæ salus & removeri ea, quæ eandem impedire poterant, si homo ordini Divinitus præscripto obtemperet, quæant? Cum vero is, qui in Spiritum S. peccat, cujus peccati naturam absurdè ignorari ait Medicus, omnia adversus istum morbum media pertinaciter*

tinaciter respuat, non magis mirum est, sanari eundem haud posse, quam quemlibet ægrotum, etiam morbo curatu facili affectum, sed medicinam repudiantem, a Medico non restitui. Nec superbiæ tantum & avaritiæ, sed ipsimet illi, quem atheismum vocant, prophanitati, cujus se in libro suo haud semel reddit suspectum Brownius, (qua de re in *Anonymis detectis Vincentius Placcius* informat) mederi Theologus facile posset, si medicamenta, lethali affectui ex sacrarum literarum penu deprompta & applicata admitteret æger, cum nephritidem & podagram Medicus, si omnes omnium officinarum pyxides excutiat & deglutiat ægrotus, non tollat. Non quia diversis utuntur medendi regulis Medici & alter alterius consulta, vel audiente ferrea cum patientia ægroto, etiã in vulgaribus morbis damnat, ipse ideo morbus imedicabilis redditur. Si Divino ordini, qui ad Venerem prona sunt, ducta legitima conjugè obsequuntur, pillulis opus non habent, quæ non tam vitium libidinis, quam aptitudinem naturalem, ad hominis perfectionem pertinentem, extinguant. Ipsummet peccatum originale, omnium morborum spiritualium fontem, curat Theologus, quousque illud præsentis fidei, per caritatem efficaci, & futuræ salutis obesse potest. At imedicabile vulnus, quod ense recidendum est, morbosque complures alios, quorumlibet sapientum iudicio desperatos, media & principia, quibus tollat, valetudinemque reducat, universa Medicina ignorat. Nec aut *Theophrastus*, aut *Helmontius*, quibus nulli morbi insanabiles fuerunt, cum tamen plurimos adhibitis admittisqve medicamentis sanare haud potuerint, fidem præ *Ovidio* unquam apud cordatos artis professores meruerunt, cujus effato omnis mundus addit suffragium:

*Non est in Medico semper, relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnere cordis ope.*

Tol.

191

*Tollere nodosam nescit Medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.*

§. XVIII.

Quanta vero & ista est sacrarum literarum præ quibuslibet aliarum disciplinarum principiis nobilitas, quod tantam in se tamque Divinam complectitur efficaciam, ut ea etiam, quæ supra omnem rationem sunt posita, persvadeat, ut ad omne genus virtutum fortissima quadam vi commoveat, ut in quibuslibet calamitatibus atque adeo in ipsa morte securum reddat & imperterritum? Vocat hanc admirabilem virtutem Paulus *potentiam DEI ad salutem omni credenti*. Rom. I. 16. Malo hæc *Origenis*, contra Celsum Epicureum disputantis, effari verbis, simulque objectionem, quæ empectæ Divini verbi eidem jam olim illuserunt, diluere. *Non est*, ait libro VIII. *eadem conditio animarum & corporum, ut quemadmodum in his sunt quidam morbi arte Medicina insuperabiles; ita in animabus quedam insunt vitia, quæ impossibile sit sanari per verbum DEI*. Nullus profecto malus affectus est animi, quo verbum DEI non sit potentius. Hoc enim unicuique medicinam juxta DEI voluntatem (καὶ ἑσθλῶν ὁμῶν, secundum ordinem à DEO in verbo constitutum) admoveat, cujus effectus est vitia tollere. Itemque libro primo: *Verbi Divini disseminatio tantum effecit, ut in multis hujus nostri orbis regionibus mirifice affecerit non paucos Græcos & Barbaros, sapientes & insensatos, ita ut ad mortem usque decertarint pro pietate Christiana, ne illum abnegarent; id quod in nullo alio dogmate factum narratur à scriptoribus: nec enim absque favore Numinis fieri potuit*. Denique libro VI. *Dicendum est, non sœdenti culpa fieri, quo minus persvadeantur, sed eorum, qui fide dignos DEI sermones non recipiunt*. Id quod verum est etiam de hominibus, persuadendi artificibus. *Fieri enim potest, ut aliquis vel usque ad summum profectus in meditationibus rhetoricis, in alium obstinatum ac refractarium incidens,*

C 3

'dens, frustra disertus sit & eloquens. Quamquam vero hæc tanta miracula etiam solum verbum Divinum efficiat, partim tamen id non impedit, quo minus habitus, ex verbo Divino deductus, non sit nobilior habitu, qui ignobiliori principio innititur: partim non obstante illa verbo Divino indita virtute Timotheum monet Paulus: *attende lectioni, meditare, insiste,* I. Tim. IV. 13. 15. & perfectionem scientiæ ex verbo commendat, *quæ expeditos habeat* ex frequenti exercitio ejus sensus. Ebræor. V. 14.

§. XIX.

Hæc tanta Scripturarum sacrarum axiomata effectum producunt, quo nullus ex parte hominis nobilior & excellentior esse potest, animarum æternam & ineffabilem salutem; quo solo nomine Theologiæ studium, quod ad effectum illum partim in se, partim in aliis obtinendum omni nisu tendit, prorsus inæstimabile est. Qui enim in rerum sacrarum non notitia tantum & meditatione, sed *διδασκαλία* etiam atque *informatione* perseveraverit, ille *se ipsum salvum facere potest & eos, qui ipsum docentem audiunt.* I. Tim. IV. 16.

§. XX.

Accedunt ad hanc maximorum validissimorumque argumentorum nubem rationes aliæ, quæ quamquam eodem robore haud polleant, nequaquam tamen levis momenti esse judicandæ sunt. Utpote quod cæterarum disciplinarum nulla tot adminicula, tot requirat præsidia, quantis ad Theologiam, in universo ambitu suo consideratam, opus esse, unanimi quodam consensu docetur. Quo quid autem difficilius est, eo melius esse & præclarius sapientum judicio admone-mur. Juris equidem scientiam, quod linguarum instrumenta concernit, comprehendere sufficienter posse, si linguæ Latinæ peritia probe sis instructus, extra dubium positum esse arbitror. Nec plura requirit aut Medicina, aut Philolophia. Si,
qui

qvi hæc studia colunt, plurimū sibi lingvarum notitiam compararunt, id eqvidem vel ad ornamentum fecerit scientiarum, vel ad eas facilius perfectiusqve discendas. At lingvæ Hebrææ Græcæqve, haud perfunctoriè imbibendæ, Theologo inevitabilis qvædam incumbit necessitas, qvippe sine quibus magistrum suum, in sacris proprio ore loquentem, sine erroris periculo neqvit intelligere. Cæteræ qvoqve lingvæ, Chaldæa, Syriaca, Arabica, Æthiopica; qvin & exoticæ, Italica, Gallica, Hispanica, Anglicana, aliæqve non pœnitendum ad sacrarum Literarum interpretationem subsidium afferunt. In universo vero Philosophiæ & Historiarum studio nihil omnino esse, cujus notitiam non majori vel nec effitate vel utilitate Theologus, qvam cæterarum artium doctores, sibi vendicet, neminem negare existimo. Soli Fanatici, qvi *θεοδιδακτοι* ideo audire volunt, qvia à bonarum literarum studiis, ut à præsentissimo veneno, abhorrent, à reliqvo Christianorum cœtu, tanqvam nimis mundano, abeunt. Eas enim *Robertus Barclaius*, recentissimus Enthusiasta, in Theologiæ verè Christianæ Apologia, *inutiles in ministro artes* vocat, *qvæ melius sit, si olim didiceris, oblivisci, quam easdem porro excolere, qvia radix sint Originis omnis in Ecclesia contentionis.* Sed, qvæ totius antiquitatis suffragio, qvæ ipsa experientia & sensu teste, tam eximium decus, tam promptam operam, tam fidele servitium Theologiæ præstant atqve hoc ipso tam splendido famulatio non contemnendum de nobilitate ejus testimonium perhibent, cur non omni honore cultuqve dignari debeamus?

§. XXI.

Ratio qvoqve & modus, qvo Theologicum studium tractandum est, nescio quid præ omnibus aliis scientiis singulare & venerabile spirat. Jam olim in ipsa fronte operum suorum monuit *Beatus Athanasius*, religionis & veritatis cognitio-

gnitionem non tam indigere humana institutione, quam ipsis sese operibus demonstrare. Non quod fides nostra nullis sit rationibus innixa, ceu per calumniam nobis Ethnici objicientes insulent, sed quod major quædam vis atque efficacia accedat, quæ Divinam doctrinam penitus animo nostro imprimat atque implantet. Hanc vero oratione & ardentissimis precibus à DEO implorare, qui Theologiæ studia sua consecraturus est, debet; deinde animum adversus varii generis tentationes, labores, molestias, tædia, calumnias, contemptum, odia, paupertatem, curas item, metus, dubitationes, angores, patientia tanquam scuto munire. Id ni fecerit, quo ingenio acutior, quo præstantior est, eò facilius in exitiosos errores & labitur ipse & alios postmodum inducit. Talem studiorum methodum, quæ Lutheri diverbio: *oratione, meditatione, tentatione*, absolvitur, præter Theologiam omnes aliæ disciplinæ ignorant. Quicquid hæc habent, quod bonum, quod pretiosum est, diligentia & ingenii probitate acquiri potest. At accurata mysteriorum Divinorum notitia, conjuncta cum animi humilitate, tam tremendis mysteriis congrua, non nisi fufis in sancto DEI timore precibus, animique in bono pertinacia obtinetur. Cadit equidem Theologiæ habitus, ceu jam supra concessimus, etiam in homines perversæ vitæ, qui sola sæpe ingenii felicitate, gratia Divina eo usque cooperante, maximarum divinissimarumque rerum sibi notitiam compararunt: sed eam Theologiam, ad veriorem illam, quæ salutaris est, comparatam, quæ cum *γνώσει τὴν ὁσιότητα* jungit, nec genuino Theologiæ fine, qui est per fidem æternam salutem consequi, excidit, vix Theologiæ nomen mereri, omnes facile, cum terminos audiunt, concedent. De hac præclara est Salomonis regula: *Tum demum intelliges reverentiam Jehovahæ & agnitionem DEI consequeris, si sapientiam summam invocaveris & prudentia dederis vocem tuam. Si quaesieris tanquam*

193.
quam argentum & sicut thesauros scrutatus fueris eam. Prov. II.
2. 3. 4. 5. Quod si dixeris: neque Theologiæ studiosos neque
Theologos ipsos, quippe non minus ac alios frequenter se-
culi moribus immersos, his sese notis indiciumque prodere, quæ
vel in ipsis prædicemus, vel ab iis requiramus; tunc confe-
ssim respondebimus: personarum vitia scientiis imputari
non debere. Nam nec disciplina Juris optimarum sanctissi-
marumque legum doctrina esse desinit, quando qui operam
illi suam impendunt, cum secundum summa scientiæ princi-
pia honestè vivere nec quenquam lædere deberent, bacchan-
do pergræcandoque tempus perdunt & contempto legitimo
magistratu in mutua viscera sæviunt; nec Medicina conser-
vandæ salutis magistra, quando, qui ejus studium sectantur,
helluando atque ingurgitando valetudini exitium aut vitæ
accelerant finem.

§. XXII.

Postremo isthæc studii Theologici nobilitas, tot hæcte-
nus argumentis demonstrata, sapientum quoque omnis ævi
testimonio comprobatur. Ex veteri Ecclesia solo *Jobannis*
Chrysoستي effato contenti erimus, qui quarta in I. Pauli ad
Corinthios Epistolam Homilia profitetur: *viam Theologiæ o-*
mnium humana sapientia profecto longe esse majorem, cum & Apo-
stoli eam facti sint externis sapientibus sapientiores atque præstantio-
res. Idque eo magis, quo majus est, res Divinas fide accipere, quam
earum rationes perscrutari. Nec diminui quicquam de hac
existimatione passa est sequens ætas, eo inprimis tempore,
cum literarum studia, sinistro quodam fato diu vel pressa vel
sepulta, redire feliciter ex tenebris & extulerunt caput. Fa-
ctum id, quando conditis passim publicis scholis & erectis
Academiis æquo judicio æstimari studia, honosque, iisdem
diu subtractus, postliminio reddi cœpit. Tum enim in or-
dipandis inter se Universalis Studii, (quo nomine totum Aca-
demie

D

demie

demia corpus, ex Theologis, Jurisconsultis, Medicis & Philosophis constans, notatum est) partibus Theologorum Collegio sive Facultati ob studii nobilitatem primus locus & præcipuus honos delatus est, quod majorum nostrorum judicium hodiernæ quoque scholæ, durante ad nos usque hoc instituto, perpetuo exemplo comprobant. Quam ad rem adduco verba *Thomæ Lansii*, Jurisconsulti quondam in Academia Tübingensi suo merito celebratissimi, qui commentatione de Academiis eo loco, ubi de Professorum ordine agit: *Academia sive Universitas*, inquit, *plerumque quatuor facultatum sive Collegiorum Professores numerat, nempe studii Theologici, Juridici, Medici & Philosophici; singulis collegiis statim temporibus Decanum Præsidentemve ex suis Professoribus eligentibus, quæ negotia Collegii moderetur. Primas autem merito & jure optimo maximo possident Theologi; quia scientia Theologica, quam illi tractant, nihil est sublimius, nihil sanctius & cui rectissime omnes alia scientia & artes fascis suos humiliter submitunt. Id quod in sequentibus verbis ad Professores etiam Theologiæ Extraordinarios, imo & Doctores Th. non Professores, nisi fortè tali amplior alia dignitatis accessio aliis tribuat primatum, extendendum esse censet, additque rationem: quia hoc incomparabili Divinarum literarum præstantia & sanctitati debemus.* Quæ tamen in re Academiarum hodie mores & consuetudines, quibus non est facile oblectandum, sunt diversi.

§. XXIII.

Agnoverunt hanc studii Theologici nobilitatem nobilissimæ generosissimæque animæ, quotquot unquam mentem operamque suam sanctissimæ disciplinæ adposuerunt. Nec enim è vulgo tantum & plebe omnibus seculis fuerunt, qui, dum in studii Theologici perfectione, quanta quidem in hujus vitæ imperfectionem cadere potest, summum quasi fastigium obtinuerunt, illustres inde vereque nobiles redditi sunt;

sunt; sed & qvi jam antea natalium claritate, virtutibus ipsorum, aut majorum certe, ab imperatoribus Regibusq; concessa, explenduerant, augeri amplificariqve connatam ipsis nobilitatem Christiano solidoqve iudicio censuerunt, si ex hoc studio tam præstanti, tam Divino, domestico decori incrementum ornamentumqve pararent. Nihil dicendum nobis est de iis, qvi ex illustribus & generosis familiis in Romana Ecclesia vel olim vel hodiernum Theologicis studiis sese dicantes ad maximas eminentissimasqve in Ecclesia functiones ascenderunt: quorum plerosqve non tam ipsa nobilissimi studii æstimatio, quam supremæ illæ, quas poterant indipisci, eaqve conjunctæ cum summo integrarum provinciarum dominio, magnificisqve divitiis, dignitates honoresq; ad studium istud potuerunt commovere. Nec etiam qvi hodie in Episcopalibus solis collocantur, aut ad ipsam summorum Pontificum, qua major nulla est, gloriam aspirant, Theologico aliquando studio incubuisse, aut certe singulares præ aliis profectus in illo fecisse, putandi sunt. Officium Ecclesiasticum & Civile per vicarios consiliariosqve plerumq; obeunt, nec opus habent, ut Theologiæ accuratori notitia sint imbuti, nedum ut in hoc studio excellant. Exemplū plane singulare, quodq; non alius forte ævi nobis suggerat memoria, JOHANNES, è Majoribus DUCUM MECLENBURGICORUM hoc nomine Primus, Theologus cognominatus, est, qvi seculo tertio & decimo, dum nihil Prælaturarum Ecclesiasticarum ambiret, solo nobilissimi studii amore ductus, Theologiam eò usqve excoluit, ut Parisiis insignia Doctoris Theologiæ, unanimi Facultatis consilio virtutibus ejus meritisqve decreta & oblata, suscipere haud dubitaret. Ex quo tempore Augustissimæ MECLENBURGICORUM PRINCIPUM familiæ ad hunc usqve diem id decus quasi proprium fuit, ut variæ solidæqve eruditionis gloria cæteris

omnibus emineret. Fallor an audire me memini, simili ferè exemplo Academiam Oxoniensem GVILIELMUM, Urania Principem, eum ipsum, quem REGEM hodiè suum Angli optimum maximumque adorant, cum illustrissimam olim scholam inviseret, Doctoris gradu, indicium nempe summæ existimationis, quam de virtutibus tanti Heröis concepisset, daturam, ornasse?

§. XXIV.

Renata Evangelii meliorumque literarum luce, cum civilium imperiorum pompa separari ab Ecclesiasticis functionibus, juxta institutum summi Ecclesiæ universæ magistri, cepisset, non tamen deesse Divina providentia passa est, qui, cum è Nobilium stirpe orti essent, è sublimiori Theologiæ studio decus & sibi quærerent ipsi & eidem simul redderent. Laudandusque nobis præ reliquis omnibus est GEORGIUS, Anhaltinus Princeps, Magdeburgensis & Misnensis Præpositus. Is patre Ernesto, Ascaniæ Principe & Rodulphi fratre natus, cum Juris primum studio operam dedisset, mox amore verioris, tum lucem primum suam diffundentis, Theologiæ incensus, ita ejus studio incubuit, ut cum ex illustrissimo stemmate natus esset, longe tamen illustriorem lucem religioni ipsi, ejusque salutari emendationi, editis inæstimabilibus Divini ingenii, quæque ad hanc usque ætatem existant, monumentis, & intulerit ipse & ex eadem simul acceperit. Memoravit immortalem Principem singulari exercitatione, eundemque recentissimorum Gallorum vanis incusationibus, quasi ex sola novandi libidine reformatio superiori seculo suscepta esset, opposuit *D. Elias Veielius*. Iconem Principis, vere sancti, repræsentant *Theodorus de Bry* & *Johannes Jacobus Boisfardus*, nec possum mihi temperare, quin *Philippi Melancthonis* pulcherrimum encomium, quo laudatissimo Theologorum Principi parentavit, adscribam. Illud ita habet:

Ascania

Ascania stirpis virtus est clara triumphis,
Ordine quos numerant secula longa patrum.
Cesar in Adriaco cum gessit littore bellum
Et fregit Venetas Maxmilianus opes,
Dux erat Ascania natus de stirpe Rodulphus,
Fixit is in Veneto multa trophæa solo.
Nunc ad majorum decora hæc laus magna GEORGI
Accedit, vere Principe digna viro;
Quod sic doctrinam reliquis virtutibus addis,
Ut verum celebres pectore & ore Deum:
Et Christi illustres ingentia munera scriptis;
Justifica supplex quæ capis ipse fide.
Exemplo, Esdra populum dum jure gubernas,
Doctrina spargis semina pura simul.
Summe DEUS, solus qui das felicia regna,
Ascanios fratres, te precor, ipse regas.

§. XXV.

Circa idem tempus *Johannem Staupitium* Misnia è familia verè nobili Augustinianis Monachis Præpositum dedit, quem vocant, Generalem. Lutherum is ad Professionem Theologiæ, in Academia Wittebergenfi obeundam, vocavit; placuitque viro Lutheri institutum adeo, ut eundem ad propagandæ purioris doctrinæ constantiam, quanquam paulo timidior ipse, frequenter severèq; adhortaretur. Quem vel eam ob causam huc non immerito referimus, quia, cum ad summas pervenire dignitates potuisset, humilitatis amore, quem à veræ Theologiæ studio traxerat, easdem fugit. Majori jure hunc Nobilium Theologorum numerum adauget *Nicolaus Amdorffus*, Eques pariter Misnicus, qui gentilitium nomen & Magistri Philosophiæ & Theologiæ Licentiati titulo, quem utrumque ei Witteberga contulit, decoravit, ad Episcopatum postea Naumburgensem à Johanne Fri-

D 3

derico,

derico, Saxoniae Electore, euectus, quanquam non usque a deo constanti fortuna usus. Memoriam eorum *Melchior Adami* conservavit, qui ejusdem Equestris nobilitatis cum Theologia conjunctionem laudat in *Paulo Sperato*, nobili familia Sprettorum Svevica orto, primo cum Polyandro, Brismanno & Amando Prussiae Evangelista, cujus merita in Historia Borussiae Ecclesiastica *Christophorus Hartknochius* haud ita pridem recensuit. *Matthias* quoque *Flacius*, illustrissimum inter Theologos maximorumque meritorum, si excitatam ultimo vitae tempore tragicædiam excipias, nomen, qui & filium cognominem huic Athenæo nostro doctorem reliquit, nobili fertur editus stemmate; & *Johannes Pappus*, quo vix quemquam Argentoratensis Ecclesia habet, cui majoribus obligetur meritis, è nobili Patriciorum Lindaviensium gente originem duxit.

§. XXVI.

In superiore Saxonia Dresda, Electorum sedes, *Matthiam Hoëium* & *Jacobum Wellerum*, utrumque Equestri sanguine, illum ex Austria, hunc ex Variscis, familia justæ nobilitatis per annos amplius septingentos privilegiis ornata, oriundum, doctores tanta celebritate inclytos nacta est, ut cum interioribus magnorum Heroum sacris essent admoti, in componendis variis, in Ecclesia Evangelica obortis, sive diffidiis sive controversiis, potiores subinde ad ipsos deferrentur partes. Laudavit *Wellerum* funebri oratione *Jacobus Thomafius*, paris modestiæ & facundiæ Rhetor, qui & natalium tanti viri splendorem curiosa narratione prosequitur & eadem opera indicat, eidem ortui vitam integro à Jacobo seculo debuisse *Hieronymum Wellerum*, Præsullem Freibergensem, virum sincerum & religionis nostræ restauratori, Luthero, qui & octennio integro domus ejusdem ac mensæ participem habere dignatus est, percarum. Nec silendi nobis in hac Saxo-

Saxoniae nostrae parte sunt *Jobannes & Hieronymus Kromeieri*, uterque utilissimis laborum sacrorum monumentis clari, quorum majores, dicente in Oratione Parentali *Christiano Chemnitio*, cum illustria fortitudinis & heroici animi specimina edidissent, tempore *Maximiliani I. justissimi Imperator*, nobilitatem virtute metiens, non longo genere & tarda prosapia, inde a multis avis, abavis, atavis, tritavis aut quadritavis enumeranda, virtuosissimos istos viros in numerum nobilium Romani imperii clementissime recepit & adscivit. Qua dignitas majoribus privilegiis & ampliacione insignium splendidis literis adaucta est ab invictissimo Rege Romanorum, *Ferdinando*.

§. XXVII.

Dum vero oculos in inferiorem Saxoniam circumfero, nemo vitio mihi vertet, si primus omnium obtutui se meo offert *Bartholdus Krakevitzius*, Theologiae quondam in Academia Gryphiswaldensi Doctor & Professor, Generalis in anteriore Pomerania & Principatu Rugia Superintendens, Consistorii Ecclesiastici Praeses & ad S. Nicolai aedem Pastor, Haereditarius in Praesentz & Upatel. Proavus enim mihi fuit, quem praeter ceteris memorare pietas mihi imperat. Ejus in Ecclesiam, in Academiam, in rem omnem literariam nunquam intermoritura merita, recensitis plurimis, iisque varia eruditione & sapienti judicio refertis, scriptis, in Programmate Exequiali consignavit *D. Franciscus Stypmannus*, juris eodem tempore Antecessor late celebris, inseruitque postea memoriis suis doctissimus vir, *Henningus Wittenius*. Natus is fuerat ex nobilissima Krakevitziorum in Insula Rugiae Buttovia familia, quae jam olim Episcopali cathedrae, quae Camini erat, Antistites non unos dederat; cumque a generoso parente, *Victore Crakevitzio*, ad liberalia studia educeretur, ultroneo motu Theologiam, cui se sacraret, elegit. Quod viri consilium Pomeraniae Duces tanto sunt affectu profecuti, ut

6

& ad summos istos honores eundem, juvenem adhuc, vix annum vigesimum tertium agentem, nec quicquam tale sperantem, destinarent & sumptus liberalissimos ad amplissimam per Germaniam peregrinationem, gradumque, cum redisset, in Academia hac nostra capeendum, cupidissime subministrarent. Præfuit officio in annum usque tricesimum sextum, non exigua eruditionis, pietatis, prudentiæ, aliarumque virtutum fama, donec die VII. Novembris Anno M DC XLII. placidissima quidem morte, sed maximo cum Ecclesiæ mœre extingveretur; relicto inter alios filio *Alberto*, Avo meo, Græca Latinaque eruditione excellenter erudito, eoque adhuc, faxit DEUS, feliciter! vivente; qui parentem mihi dedit, omni reverentia mihi colendum, *Bartholdum Fridericum Krakevitziū.*

§. XXVIII.

In Ducatu Megapolitano Princeps omni elogio major, GUSTAVUS ADOLPHUS, quem ut Herum nostrum inæstimabilem submississimo animi affectu veneramus, *Adolpho Friderico Preenio & Samueli Vossio*, illi Ecclesiarum in districtu Stargardiensi ante annos XXXIV. huic in Rostochiensi ante annos XXII. curam & procurationem commisit. Uterque ex amplissima pariter & clarissima Equitum Meclenburgicorum prosapia genitus est; nec ulla est vel patriæ vel vicinæ Nobilitatis familia, Büloviorum, Bæriorum, Plateniorum, Lützoviorum, Plesseniorum, Thuniorum, Bredoviorum, Oldenburgiorum, Retsdorfiorum, Pentzeniorum, Moltkeniorum, Linstoviorum, Zepliniorum, Lüthiorum, Sveriniorum, Viereckiorum, Moltzhaniorum, Hahniorum, Passaviorum, Engeliorum, aliorumque, cui illi, una cum Krakevitziō, vel sanguine non innexi sint, vel affinitate. Qui cum animum perfecta rerum Theologicarum scientia imbuisset, PRINCIPI sanctis consiliis, Ecclesiæ indefessa opera,

197.
ra, DEO fide & patientia, ad extremum usque spiritum, æterna cum nominis sui gloria inservierunt. Jungemus his in Borussia *Cælestinum Mislentam*, è nobili Polonorum genere ortum, eoqve à Principe ALBERTO Nobilium stipendio donatum. Quo tantas sibi acquisivit doctrinæ divitias, ut Regiomontanæ & Academiæ & Ecclesiæ, in quâ per annos XXXIV. docuit, fructum adferret, nulla unquam memoria oblitterandum.

§. XXIX.

Nec in nostra tantum Ecclesia tam illustria exstant exempla: sunt & in alienigenarum cœtu, qui eodem judicio existimationem, quam de Theologici studii nobilitate habuerunt, comprobarunt. *Jacobi*, Magnæ Britanniæ Regis, inusitatam in vario rerum genere, adeoque & Theologiâ ipsâ, eruditionem, quis mortalium non ad stuporem usque est admiratus? Producam judicium *Gerbarði Joannis Vossii*, viri ferè sine exemplo eruditi & *κελευστής*, quod in Epistolâ ad Carolum Regem Dedicatoriâ, magno Aristarchi Grammatici operi præfixâ, exhibuit. Verba sunt: *non tam de genere vel imperio Jacobi nunc sermo est nobis, quam doctrina; cuius partium alii singulas, unus ille hauserat universas. Peritiam dico linguarum, prosam versamq; facundiam, natura prudentiæq; disciplinas, historiam Ecclesiæ & civilem, ceterasq; literas, Divinas & humanas. Quare sic statuere non verear, tam variâ maximarum rerum scientiâ superasse, quicquid regum à mille annis, mille vero? imò, absit dicto invidia, quodcumque à regis Salomonis temporibus fuit. Ubi nihil auribus dari nulli melius sciunt, quam interioris admissionis proceres atq; antislites; abundeq; ipse orbi id universo testatum fecit Divinis suis ingenii doctrinæq; tot monumentis. Laudant præterea Calvinianorum annales Johannem à Lasco, illustri apud Polonos stemmate natum, Antonium Sadeelem, ex antiqva Baronum Chandæorum*

E

rum

rum gente descendentem, *Theodorum Bezan*, parente utroque nobili in vetusto Heduerum oppido genitum, *Franciscum Junium*, avo Gvilielmo, Domino Boffartineriæ, natum, in quem ob officia militaria, Ludovico XII. in bello Navarreno præfita, nobilitatis honos collatus est, *Ottone* à *Grünrad*, Eqvitem Misnicum, aliosque. Sed & hodie in Angliâ haud infrequentia exempla eorum reperiri, qui dum illustri stemmate creti sunt, & titulos in Theologiâ Doctorales & officia atque dignitates Ecclesiasticas suscipiunt, non ignota res est. Qvi vero Unitariorum instituta sectantur, exemplorum numero tantum non abundant. Ipse *Faustus Socinus*, Alexandro, Patricio Senensi & Agneta, Burgessii Petruccii, Senarum Principis, ortus, pluribus Italiæ Principibus & Magnatibus, ut & Pio II. & III. nec non Paulo V. maximis Romanorum Pontificibus, sanguine junctus erat. Eqvites Poloni fuerunt *Jonas Schlichtingius*, *Stanislaus Lutomirscius*, *Andreas Wiffowatius*, *Joachimus Pastorius*, *Stanislaus* & *Andreas* & *Christophorus Lubienecius*, *Andreas Fricius Modrevius*, *Johannes Niemejovius*, *Adamus Goslavius*, *Hieronymus Moscorovius*, (qvi præterea genus suum ex antiqua & illustri profapia Ducum Silesiorum de Svidua, Comitum de Dobczyce, duxit) *Johannes Ludovicus Woltzogenius*, tot scriptis celebris, *Baro Austriacus* in Tarenfeld, *Thomas Bisecius*, Eqves Silesius, *Jacobus Palaologus*, Græcus, ex insula Chio oriundus, ex Imperatorum Constantinopolitanorum profapia satus erat. Ex magno numero præcipuos tantum adduximus, exhibet cæteros in Bibliotheca Antitrinitariorum *Christophorus Christophori Sandius*. Sed & inter Fanaticos *Cassparus Swenckfeldius*, Eqves nobilis Silesius, eminet, qvi de religione supra octoginta libros Germanicè scripsisse fertur. Quos omnes nominibus tantum suis suffecerit expressisse.

§. XXX.

§. XXX.

Iniquus sum in amplissima erga Ecclesiam nostram me-
 rita, si, dum eos recenseo, qui ex Equestri Nobilium ordine
 Theologicis studiis immortale ornamentum adjecerunt, re-
 ticeam illustrissimum Franconicæ nobilitatis sidus, *Vitum
 Ludovicum Sekendorffum*, duorum Electorum Consiliarium
 intimum, virum consummata eruditionis gloria in orbe
 erudito jam diu inclytum. Quid ille non ad historiam tan-
 tum reformationis, adversus calumnias *Ludovici Maimbur-
 gii*, Ex Jesuitæ Galli, tuendam, sed ad complurimas etiam
 Ecclesiæ nostræ cum Romanis controversias, & lucis & mo-
 menti, libro, cui Historia Lutheranismi nomen est, attulerit,
 dicet olim merito encomio grata posteritas. Mobis interea
 profundam nobilissimæ mentis in rebus Ecclesiam & Theo-
 logiam attinentibus eruditionem, cum summa consiliorum,
 quibus juvari illæ promoveriqve queant, dexteritate conjun-
 ctam, & admirari fas est & memori pectore prædicare. Dum
 vero hujus viri recordor, monet me Præses meus, ut ne o-
 bliviscar alterius è circulo Svevico Equitis, *Wolffgangi à Gem-
 mingen*, summi, quod Spiræ erat, Imperii Tribunalis quon-
 dam Adsefforis, nunquam sine invidendis laudum titulis post
 obitum nominandi. Erat is ex principe Greichgœæ nobilitatis,
 peculiari oratione à *Cbytrao* nostro laudatæ, familia oriun-
 dus, tanta Theologiæ nostræ, tamqve diffusa scientia instru-
 ctus, ut commentarium in Apocalypsin Johanneam, sub tra-
 ducto in Græcum nomine *Lycosthenis de Didymis*, cum textus
 explicationem plane eruditam, tum vaticiniorum cum histo-
 ria comparationem, non sine summæ doctrinæ admiratione
 legendam, complectentem, composuerit, qui terfa manu
 scriptus Præfidi meo, Hæredum tanti viri indulgentia, quon-
 dam lectus fuit. Sunt ex ea familia, quæ gentili quadam lau-
 de solidioribus literarum studiis perpetuo exsplenduit, in sola

E 2

Sere,

Serenissimi Principis , FRIDERICI MAGNI , Marchionis
Badensis , aula duo viri , non minus rara eruditione , quam
summis virtutibus meritisque illustres , *Reinhardus & Bern-
hardus Gemmingeri* : ille supremus curiæ Præses & Proprin-
ceps, hic studiis Præfectus Serenissimi Principatus Hæredis,
CAROLI WILHELMI : qui per salutem publicam , quam
omni conatu, omni ope promovent, rogandi sunt , ne latere
amplius scriptum, tanto labore, tantis ingenii divitiis concin-
natum & hoc præcipue tempore publico Ecclesiæ egregio
non parum profuturum, patiantur.

§. XXXI.

Quæ hactenus de nobilitate studii Theologici à nobis
dicta fuerunt , profanis Divini studii contemptoribus op-
ponenda sunt ; quibus id tantum & grande & magnificum &
generosum est, quod sapit seculum , quod ad pompam &
splendorem comparatum est, quod veræ solidiorisque virtu-
tis inanem speciem habet, re ipsa rei que nucleo cassum. Quo-
rum exempla tantum abest, ut animum verè generosum ab
instituto & in se sublimi & eorum iudicio , qui verum rebus
pretium ab interna nobilitate ponunt, illustrem laudem ha-
bente & pariente denique immortalem apud DEUM bonos-
que omnes gloriam, abducant, ut potius eo acriores ille in se
sentiat stimulos & conetur, *Claudiani* verbo,


Certum mentique parem componere vultum,

id est, id bonum, cui se dicavit, omni nisu, omni animi perti-
nacia conservare. Id enim hominis non simulate sed vere
generosi est. Denuo adfero *Cytrai* verba : quod *Plato de
Philosophia* inquit, se non tantum amare & colere Philosophiam,
verum etiam ita animo confirmatum esse, ut eos, à quibus pro-
pterea derideatur, vicissim deridere & contemnere possit: id nos
multò magis in hoc nostro studiorum genere præstemus, præser-
tim cum hoc fatum esse & rerum omnium & hominum optimo-
rum

198
rum sciamus, ut quo majores sunt & praestantiores coram DEO,
eo superbius & securius ab impiis hujus seculi filiis contemnan-
tur & conculcentur.

§. XXXII.

Ego certè, quo rarior est cum generis nobilitate excel-
lens sacrorum dogmatum peritia, nec, ut ille ait, satis conve-
nire videtur chlamydi aut palmatae tunicæ cum infula, eò fir-
miore proposito, inflammante me seria optimi Parentis vo-
luntate, & aggredi sanctum Theologiæ studium, &, DEO ju-
vante, ad optatum deducere finem constitui. Quo ipso bo-
norum judicio rectius faciam, quam si aliorum exemplo à
tot tantisque majoribus nihil præter famam flatumque ad-
eo, ut ita dicam, vocis hæreditariò accepisse traducar. Quin-
imo corollarii loco tantam Theologiæ nobilitatem esse,
primo hoc Academico exercitio meo, adversus commilito-
nes mihi opposituros, defendam, ut absurde, nec ex Theo-
logiæ dignitate facere pronunciem, qui cum semel honores
in hoc studio summos adepti sunt, eosdem vel augeri vel or-
nari posse, sive Comitiva Lateranensi, sive Patriciatu Roma-
no, sive Nobilis Eqvitis, si eo antea destituantur, titulo, sunt
persvasi. Placet hic mihi *Thoma Reinesi*, τὸ πολυμαθεῖς,
prodita in parergica de Palatio Lateranensi, eqve Museo Bo-
siano primum edita commentatione, opinio: *adulatoribus si-*
miles esse, qui professione officioque Theologos à nemine impediri
posse volunt, quo minus sint Comites Palatini & Eqvites Aurati
& Cives sive Patricii Romani & tot villarum denominationibus
illustres Satrapa. Ego vero cœleste Numen ex toto pectore
veneror, ut & ingenio meo adfundere vires & studia, ad sui
nominis gloriam posthac dirigenda, felicissimo opta-
tissimoque successu fortunare
velit.!



Der Adel ist berühmt / berühmter Geistlich Leben/
Wer sich der Geistlichkeit mit Fleisse hat ergeben/
Der ziert den Adelstand. Die wahre Geistlichkeit
Beadelt Herz und Sinn / und führt zur Ewigkeit.

Dieses hat wollen cum Voto feliciss. Studiorum suc-
cessus dem Herrn Respondenti zu Ehren in
höchster Eyle schreiben

C. Redeker / P. P.

& Academiæ p. t. Reçtor.

Ad Generosum DN. RESPONDENTEM.

Nobilium laus est , ut terræ Regibus adstent,
Cœlorum Regi tute minister eris.
Jura sciant alii pereuntis publica mundi,
Te juvet æterni noscere jura DEI.

gratul. scr.

J. C. SCHOMERUS, D.

Ad Nobilissimum genere ingenioq, Juvenem,

DN. KRAKEVIZIUM,

Auditorem meum in Collegiis priv. Theol. Disputatorio,
super Form. Conc. ut & Ebraico indefessum,

Jam

DE NOBILITATE STUDII THEOLOGICI

disputando, primum ingenii & industriæ specimen publicè editurum.

Nobile nomen habens ab Avorum stemmate claro,
Cur Tibi præ galeis Biblia sacra placent ?

Nobilibus quia conveniens intendere munus

Nobilis : studium nobiliusne sacrum ?

Inde Theologicæ curare negotia curæ

Præcipuum munus , Nobilis, esse doces.

Sic pergas, Tibi cura dehinc sint Biblia princeps,

Plusqve Tuum properes nobilitare genus.

Non cures clypeos nec vana negotia mundi ;

Sed potius cures quæ placitura DEO.

Sicubi

200.

Sicut † ei curas, sic & tu carus eidem,
Et patriæ duplici nomine *carus* eris:
Sic generi Patriqve decus, solamen Avoqve,
Te vix nobilior nobilis esse potest.

† RRAKEVITSIUS:

Anagr.

SICUT EI CURAS,
SIC TU CARUS EI,

Lm̄q.

A. D. HABICHHORST, D.

Nobilissimo

Antiqui pariter atq; Generosi stemm. tis Germini,

DN. RESPONDENTI.

KRACVIZI, soboles magnorum erecta parentum,
Qvi geminas animi nobilitate genus;
Te pia delectat studiorum cura sacrorum
Et niveus castæ religionis amor.
Qvam benè deterfis impuri sordibus avi
Expleantur solidis pectora nostra bonis!
Hanc Tibi perpetuam Numen velit indere mentem,
Cœptaqve successû prosperiore beet!
Te virtute suâ Præsentius excitet Heros,
Inflammentqve animos illius acta tuos.
Tum tua per duplicem volitabit gloria mundum,
Nec finet obscuro delituisse loco.

Ex toto petere gr.

PRÆSES.

Rem certè rari exempli moliris Amice,
Qvam similis pauci conditionis amant.
Nobilis antiqvo KRAKVITZI sanguine clares,
Et studiis sacris incubuisse juvat.
Non obiter, sed ferventi hæc conamine tractas,
Et nisi valido, quod scio, summa petis.
Adspiret DEUS ex alto, cœptumqve secundet,
Et referes celebrem qua patet orbis Avum.

*Generosissimo Dn. Respondenti, Amico suavissimo, ut Et Au-
dieris in Collegio Philosophico per quam industria*

Lm̄q. f.

M. GOTHOFREDUS Weiß / P. P.

& ad D. Nicol. Ecclesiastes.

Quicquid terrigenas summum venerabile *Numen*
Edocet, ut noscant, quis *DEUS* ipse sit:
 Quicquid mortales in celsum *ducit* Olympum,
Nobile idem dici jura severa sinunt,
Theologia docet Numen, ducitque fideles
 Mirificò ductu ad regia tecta Poli.
 Hinc, quis miretur *generoso sanguine* natos
 Sacratum hoc Studium gnaviter inde sequi?
 Magnos magna decet, *prænobile Nobilis* optat:
 Exemplo effatum, dulcis Amice, probas.
 Scilicet ampla Tui generis vestigia servas,
 Plusq; tuum properas tollere plusqve genus:
 Pulpita dum scandens, *generosa stirpis* alumne,
 Sanctò de Studiò prælia docta subis.
 Egregiè doctum signo hoc testaris aperte
 Te fore *Theologum*: faxit id alma *TRIAS!*

Generoso insigniterq; docto Dn. Respondenti, Fautori atq; Amicò
suo singulariter colendo, specimen hocce devotè gratulaturus,
cum votò ulterioris in cursu benè captò progressus felicis lu-
bens hac adponebat

JODOCUS ANDREAS HILTEBRANDT.

Bahn. Pom. S. Theol. Stud.

Generoso DNO. AUCTORI.

Antiqua de stirpe genus qui nobile nomen
 Traxit, is ex solo nomine nomen habet,
 Ast qui nominibus virtutem jungit avitam,
 Nec vocem tantum nobilitatis habet,
 Is verbo & facto celebratur nobilis, illud
 Stirps facit & virtus, ingeniumque simul.
 Hæc dum conjungis, *KRAKVIZI*, ex nomine prisco
 Et decus æternum & laus Tibi dupla venit.

Amicissimo affectu gratulatur

AUG. MAGN. SECHT / LL. Stud.

Bada-Durlacens. Marchicus.

Ad
Generosum & Nobilissimum DN. KRAKEVITZIUM,
 De Nobilitate Studii Theologici publicè disputaturum.

Qvando novâ palmare genus decorare coronâ
 Discipulis, & studium deligis inde sacrum,
 Gratulor & voveo, coeptis benedicat ab alto,
 A quo Nobilitas vera decusqve, *DEUS!*

Honoris & amoris ergo scr.

H. H. WILDBHAGENI /
 S, S, Th, St, Schlessvicens,



§. XXX.

Iniquus sim in amplissima erga
 rita, si, dum eos recenseo, qui ex
 Theologicis studiis immortale orna
 ticeam illustrissimum Franconicæ n
Ludovicum Sekendorffum, duorum E
 intimum, virum consummata eru
 erudito jam diu inclytum. Quid ille
 tum reformationis, adversus calum
gii, Ex Jesuitæ Galli, tuendam, sed
 Ecclesiæ nostræ cum Romanis contr
 menti, libro, cui Historia Lutheranis
 dicit olim merito encomio grata pos
 profundam nobilissimæ mentis in re
 logiam attinentibus eruditionem, cu
 quibus juvari illæ promoveriqve que
 etam, & admirari fas est & memori p
 vero hujus viri recordor, monet me
 bliviscar alterius è circulo Svevico E
mingen, summi, quod Spiræ erat, In
 dam Adsefforis, nunquam sine invid
 obitū nominandi. Erat is ex principe
 peculiari oratione à *Cbytrao* nostro
 dus, tanta Theologiæ nostræ, tamq
 ctus, ut commentarium in Apocalyp
 ducto in Græcum nomine *Lycosthenis*
 explicationem plane eruditam, tum v
 ria comparationem, non sine summi
 legendam, complectentem, compo
 scriptus Præfidi meo, Hæredum tant
 dam lectus fuit. Sunt ex ea familia, q
 de solidioribus literarum studiis per

E 2

oftram me
 lium ordine
 ceperunt, re
 us, *Vitum*
 onfiliarium
 ria in orbe
 oriam tan
Maimbur-
 rimas etiam
 lucis & mo
 st, attulerit,
 obis interea
 m & Theo
 onfiliarum,
 ate conjun
 licare. Dum
 us, ut ne o
angi à Gem-
 nalis quon
 a titulis post
 e nobilitatis,
 milia oriun
 entia instru
 am, sub tra
 cum textus
 a cum histo
 admiratione
 terfa manu
 entia, quon
 vadam lau
 nduit, in sola
 Sere,

